

442 *Hebdomada trigesima secunda per annum*

Ad quam Elías ait: « Noli timére, sed vade et fac sicut dixísti; verúmtamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, et affer ad me; tibi autem et filio tuo fácies póstea.

Hæc autem dicit Dóminus Deus Israel: “ Hýdria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur, usque ad diem in qua Dóminus datúrus est plúviam super fáciam terræ ” ».

Quæ ábiit et fecit iuxta verbum Elíæ, et comédit ipse et illa et domus eius; et ex illa die hýdria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus iuxta verbum Dómini, quod locútus fúerat in manu Elíæ.

Verbum Dómini.

*Psalmus responsorius*

*Ps 145, 7. 8-9 a. 9 bc-10 (R.: 1)*

*R.* Lauda, ánima mea, Dóminum.

*vel* Allelúia.

**7** Qui custódit veritátem in sáeculum,  
facit iudícium opprésis,  
dat escam esuriéntibus.  
Dóminus solvit compeditos. *R.*

**8** Dóminus illúminat cæcos,  
Dóminus érigit depréssos,  
Dóminus díligit iustos,  
**9** Dóminus custódit ádvenas. *R.*

Pupíllum et víduam susténtat,  
et viam peccatórum dispérdit.

**10** Regnábít Dóminus in sáecula,  
Deus tuus, Sion,  
in generatiónem et generatiónem. *R.*